

nere, quia sunt accidentales, et ad nullum aliud spectant, et alioqui habent satis univocam convenientiam cum denominatione quam vestimentum tribuit. Atque ita tandem fit ut subjectum hujus praedicamenti possit esse quodlibet corpus, praesertim maximum; nam simplicia non sunt ita apta ad has denominations, quamvis terra prout ornatur herbis aut floribus, hanc denominationem participare videatur.

#### *De speciebus habitus.*

4. Ex hac vero subjecti explicatione facile colligi potest varietas specierum sub hoc praedicamentali genere contentarum. Possemus autem, majoris claritatis gratia, ipsum summum genus non appellare nomine habitus aut vestimenti, sed ornatus, et illud distinguere in proprium vestimentum, et in ornamentum commune rebus inanimatis, ut tales sunt. Et rursus vestimenta hominum divedi possunt, vel juxta diversas partes organicas, quomodo distinguimus pileum a calceo, etc.; vel juxta diversos fines, quomodo distingui possunt vestimenta propria ab armis, quae D. Thomas supra ad hoc praedicamentum revocat, et maxime videtur habere verum de armis defensivis; nam illa, quae ad offendendum sunt, non conjunguntur homini per modum formæ, sed per modum instrumenti; unde ut sic non tribuunt peculiarem denominationem praedicamentalem. Deinde ornamenta aliarum rerum possunt multis modis variari; nam quædam sunt pendentia tantum, seu extrinsecus adjacentia; alia sunt intimiori modo conjuncta, ut aurum in argento deaurato, et inter haec facile potest alia distinctio et varietas multiplex excogitari.

#### *Proprietates habitus.*

5. Ultimo, quod spectat ad proprietates hujus praedicamenti, nihil fere dicere necesse est. Nam cum forma hujus praedicamenti sit substantia quædam, ut in se est talis res, easdem habet proprietates quas substantia corporea, ut variis accidentibus subest; tamen ut forma est extrinseca, fere nullas habet proprietates peculiares. Aliqua vero accidentia videntur peculiariter pertinere ad eam constitutam sub tali ratione, praesertim color et figura; nam haec duo, sicut ad pulchritudinem multum conferunt, ita etiam ad rationem ornamenti. Addunt D. Thomas et Albertus, locis supra citatis, esse proprie-

tatem hujus praedicamenti recipere magis et minus; sed non est intelligendum de susceptione magis et minus per propriam intentionem; sic enim, cum habitus sit substantia quædam, non magis potest suspicere magis et minus quam ipsa substantia, sicut ob eamdem rationem non habet contrarium. Sed dicitur suspicere magis et minus secundum additionem quædam, non tantum extensivam ex parte subjecti, quod commune est aliis accidentibus, sed per multiplicacionem vestium et circa eamdem partem. Quomodo dicitur magis vestitus, qui duas tunicas habet, quam qui unam tantum.

6. Unde etiam est peculiare huic praedicamento, ut una forma ejus possit alteri supponi, vel quasi per accidens ex voluntate hominis, ut quando sunt vestes ejusdem rationis, vel per se ex institutione talis habitus, ut toga superponitur aliis vestibus, quamvis denominatio semper referatur immediate ad ipsum hominem; homo est enim qui togatus denominatur, et quamvis contingere carere interioribus vestibus, et solam haberet togam, ita denominaretur. Est etiam quodammodo proprium hujus praedicamenti, ut formæ ejus distinguantur secundum partes organicas hominis, et tamen simpliciter denominant hominem; quamvis enim calcei aut pileus, tantum sint in pedibus, vel capite, simpliciter dicitur homo pileatus, vel calceatus, et recte sequitur unum ex alio; nam quando forma non est nata convenire toti nisi ratione aliquis partis, tunc existens in sola illa parte denominat totum, sicut dicitur homo crispus propter solos capillos. Sic igitur, quia calceus est extrinseca forma solius pedis, in illo existens denominat totum, et sic de aliis. Et ob contrariam rationem, quando denominatio ex se est communis toti, non sumitur simpliciter ab hujusmodi formis, et ideo non dicitur homo simpliciter vestitus, etiam si habeat calceos, aut pileum, etc. Et hactenus de novem generibus accidentis.

#### DISPUTATIO LIV.

#### DE ENTIBUS RATIONIS.

1. *Ratio ob quam hic agatur de ente rationis.* — Quanquam in prima disputatione hujus operis dixerimus, ens rationis non comprehendere sub proprio et directo objecto metaphysicæ, ideoque ab ipso etiam Philosopho ab hac tractatione exclusum fuisse in libro 6

sueæ Metaphysicæ, nihilominus ad complementum hujus doctrinæ, et ad metaphysicum munus pertinere existimo, ea, quæ communia et generalia sunt entibus rationis trahere. Est enim eorum cognitio et scientia ad humanas doctrinas necessaria; vix enim sine illis loquimur, vel in metaphysica ipsa, vel etiam in philosophia, nedum in logica; et (quod magis est) etiam in Theologia. Nec vero potest hoc munus ad alium, quam ad metaphysicum spectare. Nam imprimis, cum entia rationis non sint vera entia, sed quasi umbræ entium, non sunt per se intelligibilia, sed per aliquam analogiam et conjunctionem ad vera entia, et ideo nec etiam sunt per se scibilia, nec datur scientia quæ per se primo propter illa solum cognoscenda sit instituta. Quod enim hoc aliqui tribuunt dialecticæ, error dialecticus est; nam finis illius scientiæ non est nisi dirigere et ad artem revocare rationales hominis operationes, quæ non sunt entia rationis, de quibus nunc agimus, sed entia realia. Itaque nullus artifex nullave scientia per se primo intendit entium rationis cognitionem, sed hec tradi debet quatenus cum cognitione alicujus entis realis conjuncta est; quomodo physicus agit de privatione, quæ conjuncta est cum materia ad formam, et agit de vacuo per comparationem ad locum, et sic de aliis.

2. Hoc igitur modo, metaphysicæ proprium est agere de ente rationis ut sic, et de communione, proprietatibus et divisionibus ejus, quia haec rationes suo modo sunt quasi transcendentes, et intelligi non possunt nisi per comparationem ad veras et reales rationes entium, vel transcendentes, vel ita communes, ut sint proprie metaphysicæ; nam quod fictum est, vel apparens, per comparationem ad id quod vere est, intelligi debet. Quare, licet aliae facultates, ut physica, vel dialectica, aliquando attingant aliqua entia rationis, quæ cum suis objectis conjuncta sunt, ut jam exemplis ostendimus, tamen non possunt ex propriis rationes quasi essentiales eorum expondere. Hoc ergo ad metaphysicum quasi ex obliquo et concomitante spectat, ut Alexander, D. Thomas et alii,

6. Metaph., notarunt, et Aristotelem ita exponunt, ut supra advertimus; et ideo nec ipse Aristoteles, in sua Metaphys., illa omnino prætermisit, ut patet ex lib. 4, cap. 1 et 2, et lib. 7, cap. ultimo. Hoc itaque in præsenti disputatione præstandum a nobis est, in qua prius qualemcumque naturam et causas hu-

mus declarabimus; deinde, adjuncta divisione, varia genera horum entium indicabimus, ea omnia in particulari attingendo, quæ ad hanc doctrinam pertinere videbuntur.

#### SECTIO I.

*An sit ens rationis, et quam essentiam habere possit.*

1. Non desunt etiam in hac re sententiae extreme contrariae, saltem in vocibus; nam si auctores earum pressius examinentur, forsan solum de vocibus contendunt.

#### *Prima sententia negans entia rationis.*

2. Quidam ergo simpliciter negant dari entia rationis, sed omnia, quæ de iis dicuntur, posse optime de rebus ipsis intelligi, et in eis salvari. Hanc sententiam ita conatur defendere, disputandi potius quam asserendi gratia, Mairon., in Quodlib., quest. 7; et quidam Bernardinus Mirandulanus, in Expositio ne prædicament., illam defendit. Fundamentum esse potest, quia aut ens rationis dicitur, quia est in ratione subjective, vel quia est factum a ratione, et hoc non, quia inesse et fieri sunt proprietates entium realium; unde constat, actus et species, quæ fiunt a ratione, eique insunt, entia esse realia; vel dicitur esse ens rationis, quia est fictum a ratione, et contradictionem involvit dicere tale ens esse, quia quod solum fingitur, non est. Vel saltem (quod ad rem magis spectat) sequitur talia entia rationis minime esse necessaria, neque ad doctrinas, neque ad res veras concipiendas; nam fictiones intellectus ad hos fines necessariæ non sunt.

*Alia sententia tribuens entibus rationis veram entis rationem.*

3. Altera sententia extreme contraria est, non solum dari entia rationis, verum etiam unica significatione, atque etiam conceptione contineri sub communi appellatione entis, quamquam secundum analogam convenientiam. Imo non desunt, qui inter nonnulla entia rationis et aliqua realia ponant univocam convenientiam, ut inter relationes, quorum sententiam superius refutavimus. Nec etiam desunt qui entibus rationis attribuant entitatem independentem ab actuali cognitione intellectus, quorum opinio attingit quæstionem de modo quo consurgunt, vel suo modo causantur entia rationis, et ideo melius eam tractabimus sectione sequenti. Fundamentum ergo

hujus sententiae esse potest, quia entia rationis absolute dicuntur esse, ut cæcitas, et similia; ergo convenient aliquo modo in ratione entis cum entibus realibus. Item, quia proprietates entis convenient entibus rationis, nam ens rationis unum est, vel plura, et est intelligibile, etc.

*Vera sententia.*

4. *Entia rationis dari oportet.* — Dicendum vero est, dari aliqua entia rationis, quæ neque sunt vera entia realia, quia non sunt capacia veræ et realis existentiæ, neque etiam habent veram aliquam similitudinem cum entibus realibus, ratione cujus habeant cum illis communem conceptum entis. Prior pars hujus assertionis communis est, ut patet ex communi usu et modo loquendi, tam in Theologia, quam in philosophia. Patet etiam ex distinctione superius tractata de relatione reali et rationis, nam relatio rationis, ens rationis est. Aristoteles etiam, 5 Metaphys., textu 14, distinguit duplex esse, aliud, quod vere est in re, et aliud, quod non semper est in re, sed solum in apprehensione mentis, ut eum dicimus hominem esse cæcum, nam illud esse non indicat aliquid quod sit in homine, sed potius adjuncto tali prædicato ab illo aliquid removet; tamen quia intellectus per modum entis apprehendit illam carentiam visus, ideo illam esse dicit in homine, quod esse significat veritatem propositionis, non existentiam in re. Atque ita ex hoc loco colligunt entia rationis D. Thomas, et alii expositores. Et eodem modo idem Aristoteles, 4 Metaphys., text. 2, negationes et privationes numerat inter ea quæ aliquo modo dicuntur entia. Atque hoc magis constabit ex iis quæ infra dicemus de divisionibus entis rationis.

5. *Entis rationis notanda divisio.* — Non potest autem ratione confirmari hæc pars, nisi prius explicemus quale esse, aut qualiter essentiam habeat hoc ens rationis, de quo loquimur. Cum autem ens rationis, ut ipsum nomen præ se fert, habitudinem dicat ad rationem, merito distingui solet multiplex ens rationis, juxta diversas habitudines. Est enim quoddam ens, quod effective fit a ratione, vera tamen et reali efficientia; quomodo omnia artificata possunt entia rationis appellari, quia per rationem fiunt; non est tamen in usu hæc appellatio, quia propter solam habitudinem ad causam efficientem vel exemplarem non solet effectus ita singulari-

ter appellari. Aliud est habitudo ad rationem ut ad subjectum inhæsionis, et est magis propria denominatio, nam accidens dicitur esse ejus subjecti in quo est, quia accidens est entis ens, et ita omnes perfectiones, quæ inhærent intellectui, sive ab illo fiant, sive aliunde proveniant vel infundantur, dici possunt entia rationis. Sed nunc non est sermo de illis, quia illa sunt vera entia realia, contenta sub generibus accidentium hactenus declaratis; unde neque illa acceptio entis rationis multum est usitata, quia ratio valde materialiter consideratur in ea habitudine. Alio ergo modo dicitur aliquid esse in ratione per modum objecti, nam quia cognitio fit per quamdam assimilationem et quasi attractionem rei cognitæ ad cognoscentem, dicitur res cognita esse in cognoscente, non solum inhærente per suam imaginem, sed etiam objective secundum seipsum.

6. Id autem, quod sic est objective in mente, interdum habet, vel potest habere in se verum esse reale, secundum quod rationi objicitur, et hoc absolute et simpliciter non est verum ens rationis, sed reale, quia hoc esse est quod simpliciter ac per se illi convenit, objici autem rationi est illi extrinsecum et accidentale. Aliiquid vero interdum objicitur seu consideratur a ratione, quod non habet in se aliud reale ac positivum esse præterquam objici intellectui seu rationi de illo cogitanti, et hoc propriissime vocatur ens rationis, quia est aliquo modo in ratione, scilicet, objective, et non habet alium nobiliorem aut magis realem essendi modum, unde possit ens appellari. Et ideo recte definiri solet, ens rationis, esse illud, quod habet esse objective tantum in intellectu, seu esse id, quod a ratione cogitur ut ens, cum tamen in se entitatem non habeat. Unde recte dixit Comment., 6 Metaphys., comment. 3, ens rationis solum posse habere esse objective in intellectu. Et D. Thomas, opusc. 42, cap. 4, ait, tunc efficiens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est, et ideo fingit illud aliquo modo ut ens; et idem significat 1 p., q. 16, art. 3, ad 2; et 1. 2, q. 8, art. 1, ad 3, ait, illud quod non est in rerum natura, accipi ut ens in ratione. Eodem modo declarant naturam entis rationis Soncinas, lib. 10 Metaphys., q. 5; Cajetan., de Ente et essent., c. 1; Durand., in 1, d. 19, quæst. 5, n. 6, et quæst. 6, n. 9, et d. 33, q. 1, n. 10, quamvis hic addat, totum esse entis rationis esse denominationem extrinsecam ab actu rationis,

quod æquivocum est et habet difficultatem tractandam sectione sequenti.

7. Ex hac ergo declaratione vocis, quæ etiam est definitio rei significatæ, quantum hic esse potest, manifeste colligi videtur dari aliquid, quod illo titulo possit ens rationis dici. Nam multa cogitantur ab intellectu nostro, quæ in se non habent reale esse, et si cogitentur ad modum entium, ut patet in exemplis adductis de cæcitate, relatione rationis, etc. Item multa cogitantur quæ sunt impossibilia, et modo possibilium entium finguntur, ut chymæra, quæ non habent aliud esse quam cogitari. Item, hoc ipsum quod agimus disputando de ente rationis non fit sine aliqua cogitatione ejus, et per reflexionem etiam concipimus nos disputare de quodam genere entis, quod in se vere non est. Nemo ergo, nisi propriam vocem ignoret, negare potest dari aliquid hujusmodi sola cogitatione fictum, nisi forte in æquivoco labore in usu illius verbi, *dari*, aut *esse*. Cum enim dicimus dari aut esse entia rationis, non intelligimus dari aut esse a parte rei secundum veram existentiam, alias repugnantiam in terminis involveremus; unde si hoc solum negare intendunt, qui negant dari entia rationis, nobis non contradicunt, non tamen utuntur illis verbis juxta subjectam materiam; dicuntur enim dari aut esse hujusmodi entia non simpliciter, sed secundum quid, juxta capacitatem eorum, scilicet, tantum objective in intellectu, et sic est res clara. Modum autem hujus existentiæ magis declarabimus in sectione sequenti.

*Cur entia rationis excogitata sint.*

8. Secundo colligitur ex dictis quæ sit radix vel occasio fingendi aut excogitandi hujusmodi entia rationis. Triplices enim assignari potest. Prima est cognitio quam intellectus noster consequi conatur de ipsis etiam negationibus, et privationibus, quæ nihil sunt. Cum enim objectum adæquatum intellectus sit ens, nihil potest concipere, nisi ad modum entis, et ideo dum privationes aut negationes concipere conatur, eas concipit ad modum entium, et ita format entia rationis. Hanc rationem tangit D. Thomas citatis locis, quæ non videtur habere locum in relationibus rationis, et ideo addenda est secunda causa proveniens ex imperfectione nostri intellectus; cum enim aliquando non possit cognoscere res prout in se sunt, eas concipit per comparationem unius ad aliam, et ita

format relationes rationis, ubi veræ relationes non sunt. Sicut enim, quia non potest unico conceptu distincte cognoscere totam perfectionem unius rei simplicis, eam partitur diversis conceptibus, et sic format distinctionem rationis, ita dum inter se comparat ea quæ in re ipsa relata non sunt, relationem rationis format. Indiget autem sæpe ea comparatione, quia non potest concipere rem prout in se est; vel certe quia modo sibi accommodato vult explicare id quod est in re sine tali modo, ut cum prædicat idem de seipso, dicens esse idem sibi. Atque hi duo modi fundantur aliquo modo in rebus, vel ordinantur ad cognoscendum aliquid, quod vere de rebus ipsis dici potest. Est tamen tertia causa proveniens ex quadam fœcunditate intellectus, qui potest ex veris entibus facta confidere, conjungendo partes quæ in re componi non possunt, quomodo fingit chymaram, aut quid simile, et ita format illa entia rationis, quæ vocantur impossibilia, et ab aliquibus dicuntur entia prohibita. In his autem conceptionibus non fallitur intellectus, quia non affirmat ita esse in re, sicut ea concepit conceptu simplici, in quo non est falsitas. Et ita satis responsum est argumentis primæ sententiae.

*Quid commune sit entibus rationis cum realibus.*

9. Tertio, facile est ex dictis contra postiorem sententiam ostendere, ens rationis, quamvis aliquo modo participet nomen entis, et non mere æquivoce et casu (ut aiunt), sed per aliquam analogiam et proportionalitatem ad verum ens, non tamen posse participare aut convenire cum entibus realibus in conceptu ejus. Prior pars constat ex Aristotele, 4 Metaph., in principio, ubi analogiam entis declarat etiam in ordine ad privationes et negationes; lib. 5, cap. 7, in divisione entis similiter numerat entia rationis; in illo autem libro non distinguit nomina mere æquivoca. Præterea, quia, ut ex dictis constat, ens rationis non est appellatum ens, nisi quia ad modum entis fingitur et cogitatur, ut in relationibus rationis manifeste constat; sicut etiam distinctio rationis appellatur distinctio propter aliquam proportionem ad veram distinctionem rei, vel quia aliquo modo fundatur in distinctione conceptuum, quam intellectus facit. Denique, quod secundum nullam habitudinem vel proportionem comparari potest ad verum ens, non potest ens rationis ap-

pellari, neque appellationem entis ullo modo participare; ergo non dicitur ens de ente rationis nisi per aliquam analogiam, saltem proportionalitatis, aut aliquam habitudinem, scilicet, quia aliquo modo fundatur in ente, vel illud refert.

10. Nullus communis conceptus entibus rationib[us] et rationis assignari potest.—Communis autem conceptus nullo modo habet hic locum, quia hujusmodi conceptus requirit ut forma significata per nomen vere et intrinsece participetur ab inferioribus; esse autem, a quo ens dictum est, non potest intrinsece participari ab entibus rationis, quia esse objective tantum in ratione non est esse, sed est cogitari aut fingi. Unde communis descriptio, qualis dari potest de communi conceptu entis, scilicet, id, quod habet esse, revera non convenit entibus rationis, et ideo nec dici possunt habere essentiam, quia essentia, simpliciter dicta, dicit habitudinem ad esse, seu capacitem ejus; ens autem rationis tale est, ut ei repugnet esse. Ex quo etiam nascitur differentia inter accidens et ens rationis; nam accidens, absolute et sine addito potest dici ens, quia licet sit analogice ens, tamen est proprie et intrinsece ens; ens autem rationis non potest absolute dici ens, sed cum aliquo addito, quod declarat non esse verum ens, sed per modum entis cogitatum. Et confirmatur, quia plus distat, in ratione entis, ens rationis ab ente reali, quam homo pictus a vero, nam hic saltem intercedit realis similitudo in aliquo accidente, quae inter ens reale et rationis nulla esse potest. Dices: simili argumento probaretur non posse hic intervenire analogiam proportionalitatis, quia ens rationis neque proportionem habere potest cum ente reali. Respondetur, quamvis ens rationis ut sic in se non habeat proportionem aut fundamentum proportionis, quia in se nihil est, cogitatur tamen ad modum habitus proportionem vel habitudinem, et hoc satis est ad fundandam aliquam analogiam, quam docuit D. Thomas, quæst. 2 de Veritat., a. 41, ad quintum.

## SECTIO II.

*Utrum ens rationis habeat causam, et quænam illa sit.*

1. *Entis rationis nulla causa finalis.*—*Formalis nulla.*—*An aliquam materialem.*—Hæc quæstio solum potest intelligi de causa efficiente, nam ens rationis ex se nullam proprie habet finalē causam, quia non est ali-

quid per se intentum a natura, vel ab aliquo agente. Quod si ex parte hominis excoigitantis aut fingenitis entia rationis, finalis aliqua ratio reddi possit, illa magis est finalis ratio ipsius cogitationis hominis, quam ipsius objecti facti et cogitati, et ille finis satis explicatus est in sectione præcedenti. Rursus, cum ipsum ens rationis fingatur per modum eujusdam formæ, ut relationis, vel aliquid simile, non est illi necessaria alia formalis causa. Ac denique, cum in nulla re sit subjective, sed tantum objective in intellectu, ut dictum est, etiam non habet causam materialē, quamquam si res, quæ ab ente rationis denominatur, consideretur per modum subjecti, possit dici materia vel quasi materia illius denominationis aut formæ. Et consequenter si illud sic denominatum consideretur ut quid compositum per rationem, possit dici habere causam formalem, scilicet, ipsum ens rationis in abstracto sumptum; ut cum homo, verbi gratia, dicitur species, illud concretum, *species*, est quoddam ens rationis, cuius materia est homo, forma vero relatio speciei; quod quidem secundum varias opiniones, et pro varietate etiam entium rationis explicandum est diversis modis, juxta ea quæ inferius dicemus.

*Prima sententia de causa efficiente entium rationis.*

2. *De causa ergo efficiente solum dicendum est.* Aliqui enim hanc causam simpliciter negant de entibus rationis. Ita sensit Sonecius, 6 Metaph., quæst. 18, quamvis non dicat absolute non habere causam, sed non habere causam dantem eis esse, et loquitur aperte de esse existentiæ, quo sensu est res clarissima, quia ostensum est ens rationis non habere esse nisi objectivum in intellectu. Ut tamen superius dixi, hæc quæstiones accipendiæ sunt juxta subjectam materiam, et ideo, suppositis quæ diximus de natura entis rationis, ineptum esset inquirere causam quæ per realem efficientiam illi esse tribuat, sive mediate, sive immediate. Tamen, cum ens rationis non semper sit eo modo quo esse potest, aliquando vero esse incipiat eodem proportionali modo, non est ineptum querere causam hujus qualiscunque esse talis entis.

*Assertio prima.*

3. *Causa efficientis entis rationis datur, et quomodo illud attingat.*—Sic ergo dicendum necessario est primo, dari aliquam causam

efficientem, a qua habet ens rationis ut suo modo sit, quanquam efficientia ejus, ut est realis productio, ad illud non terminetur, ut ad terminum effectio[n]is, sed tantum ut ad objectum ipsius termini producti. Probatur, quia quamvis ens rationis non habeat esse reale, habet tamen esse objectivum, quod tamen non semper habet; ergo quod nunc illud habeat, et non antea, in aliquam causam aliquo modo efficientem referendum est; alioquin nulla ratio sufficiens illius qualiscunque varietatis reddi posset. Item illud esse objectivum, quamvis in ipso ente rationis nihil sit, tamen necessario supponit aliquid esse reale, in quo fundetur, vel a cuius denominatione seu habitudine illud esse objectivum quasi resultet; illa ergo causa, quæ efficit tale esse reale, est causa entis rationis. Et hinc facile patet posterior pars conclusio[n]is, nam talis causa per realem efficientem aliquid operatur, ut, verbi gratia, talem cognitionem vel fictionem, quæ in ipso intellectu quippiam reale est; tota vero illa efficientia, ut ad terminum realis productionis terminatur ad formalem conceptum ipsius mentis, et ibi sistit; inde tamen fit, ut illemet conceptus formalis terminetur aliquo modo, ut ad objectum, ad ipsum ens rationis, quod cogitatur aut fingitur. Atque ita tandem ipsum ens rationis habet esse objectivum in intellectu.

*Assertio secunda.*

4. *Intellectus est causa efficientis entis rationis.*—Dico secundo: intellectus est causa efficientis entium rationis; efficit autem illa, efficiendo solum aliquam cognitionem, vel conceptum suum, ratione cujus dicitur ens rationis habere esse objectivum in intellectu. Hæc satis constat ex præcedenti, et ex ipsa appellatione entis rationis, prout superius explicata est, quia si ens rationis habet esse tantum objectivum in intellectu, ergo illud habet medio aliquo actu intellectus, cui objectatur; ergo per efficientiam illius actus habet illud esse; illa ergo appellatur efficientia ipsius entis rationis lato modo et juxta materiæ capacitem, ut saepè diximus. Contra hanc assertionem referri posset opinio, assertens omnem extrinsecam denominationem esse ens rationis, etiam ante omnem intellectus considerationem, de qua statim dicam.

*Variae dubitationes circa assertionem positam.*

5. Circa hanc enim assertionem occurruunt

multa inquirenda et explicanda. Primum est, quæ sit illa actio vel cogitatio intellectus, per cuius efficientiam dicitur ens rationis resultare, et consequenter an per quemlibet actum mentis resultet in objecto aliquod ens rationis, vel solum per certos ac determinatos actus, et quinam illi sint. Deinde, an conficeri hoc modo entia rationis sit proprium intellectus, vel convenientiam etiam voluntati, aut etiam sensibus, et in universum potentius habentibus propria objecta. Denique, an hoc intelligendum tantum sit de intellectu humano, vel etiam per divinum aut Angelicum resurgent entia rationis.

*Opinio asserens consistere ens rationis in extrinseca denominatione.*

6. Est ergo quorundam opinio, entia rationis nihil aliud esse quam denominationem extrinsecam, qua res cognita denominatur ab actu intellectus secundum aliquam proprietatem, aut conditionem convenientem illi quatenus cognita est, quæ denominatione potest esse multiplex. Prima omnium videatur esse illa, qua dicitur res esse cognita, nam hæc etiam est denominatione extrinseca proveniens ab actu rationis, et non cadit in rem, nisi prout est objective in mente. Deinde sunt denominations sumptæ ex variis operationibus intellectus, ut ex prima, esse universale, genus, definitum, etc.; ex secunda, affirmari, negari, etc.; ex tertia, esse antecedens, consequens, etc. Nam quod hæc omnia sint entia rationis, communis omnium consensus est; et patet, quia nihil reale est in rebus sic denominatis, et tamen ita concipiatur et dicitur, ac si esset aliquid. Item, quia illæ denominations æque tribuntur non entibus, nam etiam privatio cognoscitur, affirmatur, negatur, etc. Quod vero hæc denominations præcise sumuntur ab actu intellectus, quo res cognoscitur hoc vel illo modo, probatur, quia ex eo præcise quod intellectus cognoscit rem, dicitur res esse cognita; unde, licet intelligere in ipso intellectu sit vera res illum intrinsece afficiens, tamen in objecto, intelligi est tantum rationis denominatione, atque ita ens rationis. At vero ex quo intellectus cognoscit rem tali modo, verbi gratia, abstracte, denominatur universalis, et sic de aliis. Et hæc sententia sic explicata tribuitur Durando, in 4, dist. 19, q. 5 et 6; an vero ita sentiat, postea videbimus.

7. *Prima illatio ex præmissa opinione.*—

Et juxta hanc sententiam sequitur primo, entia rationis non tantum resultare suo modo in rebus cognitis per intellectum humanum vel creatum, sed etiam per intellectum divinum, quia etiam prout illi objiciuntur, dominantur cognitae. Quo fere modo Scotus dixit creaturem ex aeternitate esse productas a Deo in esse cognito, nam, ut in superioribus saepe diximus, illud esse, in sententia Scotti, non est reale esse existentiae, neque esse essentiae, nam essentia creature non est cognosci, sed est id quod cognoscitur; erit ergo ens rationis. Verum est ipsummet Scottum, in 1, dist. 36, quæst. unica, § Ad secundum dico, declarare, quod illud esse non est esse relationis rationis; sed aliud esse diminutum et absolutum, non tamen declarat an sit dicendum reale, vel rationis.

8. *Secunda illatio.* — Secundo sequitur ex predicta sententia, non solum per intellectum, sed etiam per voluntatem, imo et per visum, et per alios similes actus resultare entia rationis, quia etiam ex illis dominantur objecta secundum aliquid esse, quod in eis nihil est, videlicet, esse volitum, aut esse visum. Unde Scotus pari modo dicit, creaturem produci a Deo in esse volito per voluntatem, ac in esse cognito per intellectum, ut constat ex 2, d. 1, q. 1; et majori ratione per voluntatem humanam omnino extrinsece dicitur res volita et amata, et per visionem visa; est ergo in his omnibus eadem ratio et proportio.

9. Tertio infertur ex dicta sententia, non solum dari entia rationis ex vi horum actuum potentiarum vitalium, sed etiam ex aliis rebus vel habitudinibus rerum posse consurgere, quia in rebus ipsis ante hos actus inveniuntur aliquæ extrinsecæ denominations, quæ nihil in eis ponunt, et consequenter etiam erunt entia rationis. Hujusmodi est denominatio, qua columna dicitur dextra vel sinistra animali; item illa quæ redundat in objectum ex potentia ut sic, ut esse visibile, vel audible; denique omnes illæ relations non mutuae, quæ ex parte alterius extremi dicuntur esse rationis, aut denominations extrinsecæ ab aliis extremis. Quipotius, a paritate rationis sequitur, denominationem vestiti a veste, locati a loco, imo et agentis ab actione, esse entia rationis, quia est eadem vel proportionalis ratio. Nam talis denominatio nihil ponit in re denominata; ideo enim extrinseca appellatur; ergo etiam

illa ut sic erit ens rationis; quid enim magis in his obstat quam in cæteris?

*Non omnis denominatio extrinseca potest dici ens rationis.*

10. Hæc igitur corollaria satis, ut opinor, declarant, illam sententiam non posse esse veram quantum ad hanc generalem regulam, quod denominatio extrinseca ut sic constitutat ens rationis. Nam si denominatio sumitur a forma reali, hoc ipso in rebus existit, et consequenter non pertinet ad entia rationis. Antecedens patet, quia illa forma habet verum esse reale sine dependentia a ratione; ergo etiam denominatio ab illa proveniens, quamvis extrinseca, realis tamen est, et non est tantum objective in intellectu, aut per negotiationem aut fictionem ejus. Dices: hoc ipso quod est sola denominatio, non potest esse plus quam ens rationis, nam denominatio opus rationis est. Respondet: si per denominationem quis intelligat impositionem nominis denominativi, illud quidem est opus rationis; sed nunc non agimus de impositione nominum; hoc enim modo etiam denominatio intrinseca, quantum ad impositionem nominis denominativi, est opus rationis; sed agimus de ipsarum rerum unionibus aut habitudinibus, in quibus talia denominativa nomina fundantur, quæ non sunt opera rationis, sed in denominatione intrinseca est realis unio vel identitas, aut aliquid simile; in denominatione autem extrinseca quæ ex rebus ipsis sumitur, est habitudo realis unius rei ad aliam, ex qua provenit ut illa res, ad quam est habitudo, denominetur per modum termini alterius habitudinis. Sub habitudine autem comprehendimus tam relationem praedicamentalem, quam transcendentalem.

*Nec denominatio ab actu rationis est semper ens rationis.*

11. Quod si illud principium de denominatione extrinseca sumpta ab ente reali, non est universaliter verum, neque etiam applicatum ad actus intellectus, ut directe denominantes objecta cognita, potest esse verum. Quia actus intellectus tam est vera forma realis, sicut aliæ, et in re ipsa habet habitudinem realem et transcendentalem ad objectum, ex qua provenit ut objectum denominetur cognitum. Dices, hoc esse peculiare in denominatione sumpta ab actibus intellectus, quod possit cadere etiam in entia ratio-

nis, et ideo speciali ratione posse appellari ens rationis; sed hoc non satis est, nam inde solum infertur aliquam denominationem extrinsecam posse extendi ad entia rationis, etiamsi alioqui a forma reali sumatur, non vero e converso hanc denominationem sufficere ad constituendum ens rationis. Quocirca, ut recte notavit Scotus, loco citato, hæc denominations extrinsecæ possunt fundare aliquod ens vel relationem rationis, si concipiuntur tanquam aliquid in re denominata; ipsæ tamen præcise sumptæ non sunt proprie entia rationis. Tale autem fundamentum non est in ipsa re quæ extrinsecè denominatur, sed in alia, a qua denominatur, et inde fit ut id quod concipitur per modum entis in re sic denominata, sit ens rationis.

12. Sed dici ulterius potest hoc esse peculiare denominationibus sumptis ab actibus intellectus, ut illud esse quod conferunt, tantum sit objective in intellectu, quod est proprium entis rationis, ut supra diximus; denominations vero extrinsecæ sumptæ ab aliis rebus aut actibus, etsi in hoc convenient cum denominationibus intellectus, quod nullum esse reale ponunt in rebus denominatis, in eo tamen differunt, quod non sunt objective tantum in intellectu, neque pendent ab actuali operatione rationis. Sed in hac responsione duplex defectus committitur. Primus est, quia vel solum fit vis in nomine entis rationis, vel admittenda erunt alia genera entium, quæ nec realia sint, nec rationis. Declaratur hoc, quia si ens illud, quod constituitur per denominationem extrinsecam ab actu rationis, habet propriam quædam rationem entis condistinctam ab ente reali, ergo etiam ens visum, aut ens amatum, ut sic, et in universum ens extrinsece denominatum, habebit quædam rationem entis condistinctam ab ente reali; nam est eadem ratio et proportio, ut ostensum est. Si autem fiat vis in nomine entis rationis, quod significare videtur peculiarem dependentiam ab actu rationis, facili negotio multiplicare possumus similia seu proportionalia nomina, ut ens imaginationis, aut sensus, aut voluntatis, etc., quæ omnia erunt condistincta ab ente reali propter dictam similitudinem rationis. Quod si non ad nomen, sed ad rem attendamus, cum in illis omnibus sit idem modus entis, convenient in generali ratione entis rationis, non ut significat peculiarem dependentiam ab actu rationis, sed ut significat ens condistinctum ab

ente reali, quod potest dici ens extrinsecæ denominationis.

13. Secundo, deficit illa evasio, quia in rīore falsum est denominationem sumptam ab actu directo intellectus habere tantum esse objective in intellectu, nam proprie potius habet esse formale in intellectu quam objec-tum. Unde cavenda est æquivocatio, quando agimus de esse cognito, aut alis similibus denominationibus intellectus. Potest enim vocari esse cognitum, illud esse quod cognoscitur, quodque proprie est objective in intellectu; vel potest vocari esse cognitum, illudmet esse quod res habere dicitur, ex eo præcise quod cognoscitur, quod ex vi cognitionis directæ non est objective in intellectu, sed potius est formaliter ab actu quo res cognoscitur, objective autem est in cognitione reflexa, qua intellectus cognoscit se cognoscere, vel potius qua cognoscit rem esse cognitam. Et præterea, licet respectu talis cognitionis illud esse sit objective in intellectu, non tamen est tantum objective, quia forma, a qua est illa denominatio, non est tantum objective in mente, sed in re ipsa. Sicut quando intellectus cognoscit rem esse amatam, est quidem illud, esse amatum, objective in intellectu, non tamen hoc est totum esse illius, ut ea ratione dicatur esse tantum objective in intellectu, nam in re ipsa talis actus amoris tendit et terminatur ad talem rem, et hoc ipsum est rem illam esse amatam.

14. Quocirca, si præcise sistamus in denominatione extrinseca proveniente a forma reali, et ab aliqua ejus habitudine non ficta, sed vera, et in re ipsa existente, non existimo pertinere ad ens rationis, sed comprehendendi sub latitudine entis realis, saltem ex parte formæ denominantis. Unde, si intellectus nihil aliud cognoscet quam talem formam, verbi gratia, visionem habere extrinsecam habitudinem ad tale objectum et ad illud terminari, et inde tale objectum extrinsece denominari visum, nullum ens rationis concipit, nam omnia illa revera ita sunt in re, sicut cognoscuntur, scilicet, res denominata, forma denominans, et illa qualisunque unio complens denominationem, quæ potius est realis habitudo. Et quoad hoc eadem est ratio de denominatione sumpta ex actu intellectus, ut directe cognoscentis rem, a quo res dicitur cognita, sine ulla fictione rationis, per solam realem existentiam actus cognoscendi cum reali habitudine ad rem,